

formatione tum sideris, tum globulorum caelestium diximus, ut eo melius istius *materia striata* proventum explicare queamus. Memoravimus ibi ramenta aliqua materiae primigeniae abrasis prominentiis abiisse in globulos, quorum tres sese invicem tangebant, quod utique ex structura illorum corporum fuit; Illud autem triangulare spatium replebatur materia primi Elementi, quae cum partim propter *motum suum rectum* (quo semper ex uno spatio Triangulari conabatur intrare aliud.) partim propter *motum Circularem*, [quo interea illi tres globuli caelestes sese mutuo in minimis punctis tangentes, & Triangularia ista Spatia formantes, rotabantur circa proprios suos axes.] Trochleae alicujus figuram adeptae esset, nomine *striata materia* hodie nobis venit; Haec cum crustam terrae interiores, aquam, crustam superiorem & aërem trajiceret, primo tempore nullos aptiores reperiebat poros, quam quidem in crusta intima; Illa enim, quae alias etiam metallica audit, poros habebat simili magnitudine & figurâ praeditos, quos libere trajiciendo sibi constantes efficiebat, ita ut ab alterutra parte ingressus pateret; In aqua autem & aëre nullos figurare, quin neque commode pervadere poterat, quoniam sunt corpora fluida, quae ratione suae figuræ non retinent illam pororum introductionem, sed motu aliquo rursus intercedente, situm & respectum mutuum inter se mutant. Postquam vero ex interiori illa crusta metalla in superiorem evecta essent, materia illa striata commodiores rursus inveniebat poros in iis & Magnete, quam in aliis corporibus. Omnia enim corpora non simili partium & pororum structura gaudent, uti optime demonstrat saepe laudatus *Chauv. sub Tit. Pori.*

§. 12.

Præ aliis autem metallis ferrum cum magnete communicat hanc materiam, quod elucescit ex similibus fere viribus.